



V I T A
 LVDOVICI FERRARII
 BONONIENSIS,
 A H. CARDANO DESCRIPTA.



LDOVICI Ferrarij auus, Bartholomæus Ferrarius Mediolanen-
 sis fuit, qui exul factus Bononiam se contulit, duosque filios ge-
 nuit, Vincentium & Alexandrum. Ex Alexandro ortus est Lu-
 douicus; cumque pater occisus esset, in patris domum se con-
 tulit. Huius patruelis Lucas cum à patre profugisset, Mediolanum peruenit,
 & cum apud me fuisset, clam abiens rediit Bononiam. Me autem conquesto
 apud patrem illius, misit pro filio nepotem suum agentem annum quintum-
 decimum. Et quamvis pro famulo venisset, nec literis humanioribus esset
 instructus, tamen lepore & felicitate ingenij delectatus, pro Ammanuensi
 illius opera usus sum. Deinceps perdidicit literas Latinas, Græcas, & Mathe-
 maticas. Vbi annum expleuisset decimum octauum, publicè profiteri cœpit,
 magna omnium qui eum cognouerant, admiratione. Inde statim cum do-
 mum sibi conduxisset, certauit cum Ioanne Colla, & post cum Nicolao Tar-
 talea, ambobus Brixiensibus Mathematicis sui temporis clarissimis, publi-
 cèque eos superauit: cuius rei adhuc extant monumenta publica: cum certa-
 mina coram tota urbe celebrata sint. Hæc peracta cum nondum vigesimum
 attigisset annum. Duobus post annis simul vocatus est Romam, & à Prorege
 Galliarum Brisacco, & Venetias priuata tamen conditione sed locupleti,
 tum à Cardinale Mantuano, & à Cæsare, vt erudiret filium qui nunc est Im-
 perator. Peruicit Cardinalis, quòd eodem anno illius frater Ferdinandus Gon-
 zaga præfectus prouinciæ muneris dimetiendi agrum Mediolanensem eum
 præfecisset, pro qua opera penè quadringenti coronati in singulos annos nu-
 merabantur. Dissuaseram ego discessum, volebamque esse contentum præ-
 senti fortuna, quæ etiam suspecta erat: illius memor:

Immodicis breuis est ætas, & rara senectus:

Quicquid amas, cupias, non placuisse nimis.

Sed iam seipsum in nassam intruserat: abiit, accepitque octo in annis aureos
 coronatos penè quater mille, certè plus tribus millibus præter omnem sum-
 ptum vitæ: nam famulos duos & equum ei alebat Cardinalis. Verum fistulam
 in anno contraxit, ex qua cum esset intemperans, malum contraxit habitum.
 Cumque nullis non officiis Cardinalis illum non demereretur, quasi quod
 fortunæ aut sibi imputari debuerat à Cardinale acceptum referret, illi iratus
 non obscurè Bononiam se contulit, ad sororem Magdalenam orbam viduam,
 quam vnicè diligebat, ibique extructa domo satis commodè præter vim morbi
 vixit. Ab aduentu etiam meo Bononiam publico Mathematices profitendi
 muneri præficitur: cumque annum vix exegisset, repente mortuus est non
 sine suspitione veneni. Hæres fuit soror ab intestato, quæ intra quintum
 decimum diem nupsit, adeò vt suspicio creuerit antea id factum esse: tum
 quòd nullas prorsus lachrymas in funere ediderit, vt odij scelerati manife-
 stum specimen referret. Addidit quoque furori tanto insaniam, cunctaque
 donauit statim coniugi. Et nunc relegata ab illo ruri senex fortunis & om-
 nibus bonis speliata, vt etiam si ille pereat, ne teruncium ad ipsam sit reditu-
 rum, degit, & meritas impietatis poenas dat. At patruelus flet, cum nihil
 ad ipsos ex tota hæreditate peruenerit. Libros nullos reliquit, nescio qua causa;
 solum colligendis quibusdam dictis authorum intentus. Credo quòd eam ra-
 tionem non teneret. Correxerit tamen Cæsaris commentaria, figurisque locu-
 pletauit. Hæc, & in Vitruuium obseruationes occupauit Sororius, testatus
 coram

coram me, velle vt eius filius qui nihil attinet Ferrarium, est enim Magdale-
næ priuignus, vt suos aliquando edat. Hæc fuit infortunata vitæ Ludoui-
ci Ferrarij, ingenio & eruditione in Mathematicis nulli Secundi, sed in hu-
manis rebus minimè sapientis, & in Deum parum pij: vt qui & illum, &
Diuos omnes ex consuetudine turpiter execraretur, adeoque violenta ira
procefferat, vt ego rarò ad illum accederem, nec alloqui auderem. Natus est
anno salutis M D X X I I. die 2. Februarij ascendente X X I. parte Arietis, &
Luna erat ei in loco Iouis. Vulneratus fuit X V I I. anno in sinistra manu, vt
ferme digiti omnes præcisi sint. Vnde in posterum incommodo illo & defor-
mitate non caruit. Fuit parvæ staturæ, iucundi vultus, blando sermone, pru-
dens in rebus exigui momenti, comptus, naso paruo, non tamen deformi, roseo
colore. Verbo, vnde quaque ad decorem formatus. Obiit anno M. DLXV. die
Octobris.



E I V S D E M
A N D R E Æ A L C I A T I
M E D I O L A N E N S I S
I V R I S C O N S V L T I
V I T A.



A N D R E A S Alciatus Ambrosij Filius, mater ei Margarita
Landriana ex oppido Alciassio, quod propè Mediolanum est,
vnicus Patris filius, indole eximia fuit, vt qui à puero grauitatem
quandam supra fortunæ conditionem retineret; primùm literis
Latinis Græcisque imbutus, deinde facundia si ad antiqua tempora compara-
tur, forsàn quæ vinci posset: si ad nostra sanè incomparabili: nam & nitidio-
re stilo & puriore, tum pleniore atque suauiore fuit, item carmine felicissimè
lusit. Inde Bononiam veniens Iurisprudentiæ studiis incubuit, adeò vt inter
primos suæ ætatis adhuc adolescens haberetur. Audiuit & Iasonem Maynum
suæ ætatis Iurisconsultum celeberrimum Papiæ profitentem. Lauream adeptus,
vbi Mediolanum se contulisset, tanta auctoritate ob eruditionem mi-
cuit, vt in collegium Iurisconsultorum reciperetur, tametsi aliqua obstare
viderentur. Narrabat mihi. Gualtherus Corbeta Senator, ob eminentiam sa-
pientiæ prudentiæque Iuris potius receptum, quàm legibus ac statutis ipsius
Collegij. Paulo post vocatus in Galliam Auigniorum, quæ vrbs Pontificia
est, professus magno stipendio est. Ea verò fuit illius felicitas, vt tum peritia
legum, tum facundia, tum Græcarum Latinarumque literarum scientia lon-
gè latèque omnes non solum sui temporis, sed etiam prædecessores supera-
uerit, illudque de eo Ciceroni animum dici posset, quod de Scæuola prædicabat:
Iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium Iuris peritissimus: neque hoc solum
verè, sed omnium consensu dici poterat. Antecelluit facundia, scientia
linguarum, historiæ Cognitione, interpretationis subtilitate omnes, qui in ea
facultate vixerunt. Quod si volumina eius, quæ extant, id non apertè testa-
rentur, suspicione addulationis carere non possem: verùm ipsa res dicto meo
maior est; quapropter id Horatianum proferam.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Suum ergo cuique iudicium permittam, tum maximè quod illius libri nunc
omnium in manibus maxima cum auctoritate habeantur: nemo dedignatur
Alciatum, nemo sine illo Iurisconsultum eruditum haberi se posse putat. Sed
omitamus hæc, atque de vita sermonem, quem institueramus, prosequamur.